



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Tremoniense Pro Reformanda Ecclesia celebratum anno Domini
millesimo quinto, tempore Ioannis papae XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1005.
a **CONCILIVM TREMONIENSE**
PRO REFORMANDA ECCLESIA
celebratum anno Domini millesimo quinto, tempore
Ioannis papæ XVII.

NOTA.

* *Concilium.*] Ditmarus libro 6. testatur, allegato tempore celebratam esse in Germania magnam Synodum Tremoniensē, in qua rex Henricus de eius temporis sanctæ ecclesiæ deformatione conquestus, magna instantia apud episcopos laboravit, ut collapsa ecclesiæ disciplina reformaretur. Præstiterunt illud pro viribus quibus id potuerunt diligentissime, communique consensu ediderunt sacros Canones, quibus sanctissimæ leges ecclesiasticæ in pristinum usum reuocarentur, prauique mores, qui in clerum ac populum irrepserant, exularent & corrigerentur. Quibus statutis rex sibi Deum propitium conciliauit, viamque ad victorias consequendas & Romanum imperium obtinendum aperuit. Celeberrimi Concilii acta plane interierunt: exordium dumtaxat eorum apud Ditmarum descriptum reperitur tale: *Anno dominicæ incarnationis millesimo quinto, anno autem domini Henrici secundi regnantis quarto, inchoato, in die Nonarum Iulii.* Reliqua desunt.

Locus &
acta Con-
cili.Actorum
fragmen-
tum.

ANNO
CHRISTI
1006.
a **CONCILIVM FRANCOFORDIENSE,**
DE ECCLESIA BAMBERGENSI IN CATHEDRAM
episcopalem erigenda, celebratum anno Domini MVI.
tempore Ioannis papæ XVII.

NOTA.

* *Concilium.*] In hoc Concilio, testimonio Ditmari, qui eidem præfens interfuit, inter alia tractatum est de ecclesia Bambergensi in cathedram episcopalem erigenda: idque ad petitionem regis Henrici, qui eam ciuitatem a puero dilexerat, & semper excoluerat, & vxori in dotem assignauerat. Henricus Vvirceburgensis episcopus ad Synodum vocatus venire noluit, nisi post vnionem suæ parochiæ cum Bambergensi ecclesia factam ipse archiepiscopus constitueretur. Exordio Concilii petitionem suam episcopis in Synodo confidentibus rex patefecit, verbis quæ a Ditmaro recitantur hæc: *Confidentibus ibidem ordine archiepiscopis cum omnibus suis met* suffraganeis rex humo tenus prosternitur, & a Vvillegiso antistite Moguntino, in cuius diœcesi Synodus habebatur, eleuatus, cunctis presentibus talia satur: Ob recompensationem futuram Christum heredem elegi, quia*

Acta Con-
cili.* hocce,
suffraganeis